DE HÆMATEMESI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE...

Domenico Albini

DE

HEMATEMESI

Dissertatio inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE CONSEQUENDA IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D. DOCTORE THEODORO HELM

Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. O Directore Nosocomii Universalis etc. etc.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Januarii 1847

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

ALBINI DOMINICUS

EX GARZENO IN PROVINC. NOVOCOM.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII

MANIBUS

OPTIMI PATRIS.

DE HÆMATEMESI.

§. I.

Haematemesis, Gastrorrhagia, Vomitus Cruentus (sub hocce nomine comprehenditur quoque oesophagorrhagia, nempe quum sanguis ab oesophago procedit, qui vero casus rarissimus est) dicitur illud profluvium quod scatet e vasibus ventriculi, hepatis, lienis, intestinorumque tenuium, et in ventriculum delatum per vomitum emittitur. Veteres hocce profluvium vocarunt *vomitus cruentus*, sed *Linnaeus* nomine *haematemesis* illud compellare maluit quod nomen *Vogel*, *Sauvages*, *Cullen*, atque fere omnes scriptores recentes secuti sunt.

Non semper vero omnis sanguis, qui per vomitum emittitur iudicat agi de haematemesi, nam in Stomatorrhagia, in Epistaxi, in Pneumorrhagia aliquando sanguis in ventriculum de-

scendit, et postea vomitu emittitur: in Hydrophobia, Epilepsia etiam non raro observatur, et quare dolosam naturam aliquando habet. Interdum in infantibus animadvertitur vomitus cruentus una cum diarrhoea cruenta quodque pendet, quia infantes e mammis lac nimis avide suggunt, et sanguinem etiam extraunt, potissimum si mater primipara est; in hoc casu habetur Haematemesis apparens; neque omnia liquida e ventriculo rejecta ob colorem rubrum, quem praebent, sanguis dici possunt, nam vinum et caerasa hunc colorem habent, attamen sanguis solo visu dignoscitur.

§. II.

In casibus rarioribus Haematemesis sine ullis prodromis apparet, sed frequentius praenunciatur a symptomatibus: haec congestionem majorem sanguinis adesse indicant in ventriculo et visceribus propinquis; sensus doloris nunc acuti nunc obtusi, sensus tentionis, ardoris in regione epigastrica, interdum etiam umbilicali, in uno vel utroque Hypochondrio in scenam adparet, qui sensus ingratus saepe disparet, ac interdum sine nota causa revertit, quare optime movit clarissimus *Petrus Frank* = Alios non tamen, ait auctor, multos hoc

profluvium ventriculi cruentum ex improviso quasi, aut saltem sine praeviis ad epigastrium molestiis adoritur; ac sicuti ad anum haud paucis contingit, sanguis tantum per venas varicosas copiosus aufugit = Post iugesta enumerata symptomata saepe adparent, et comitantur cordis palpitatione, nausea ructulus, vomiturationa, anorexia, quaeque symptomata interdum repetuntur a debilitate ventriculi, aliquando a saburra, quare exhibentur medicamina amara, vel amaro-roborantia, nec non emetica et purgantia, sed nullo cum levamine, quin imo irritando ventriculum, et intestina morbi teterrimi evolutio adgeberatur.

Post tempus plus minusve longum aeger orripilationibus brevibus corripitur, quibus inde subsequitur calor continuus, nausea, vomiturition', sensatio liquidi dulcis aut subdulcis, quod e ventriculo in fauces adscendit, atque postea comparet vomitus cruentus. Interdum sanguis purus laete, rubens, arteriosus est, quandoque nigrescens, spissus, venosus emittitur; alias ad guttas aliquas rejicitur, nonnuuquam vero ad libras plures, pro parte liquidus, pro parte coagulatus; saepe potulensis, alimentis, muco, bile mixtus, quandoque materiei utpote puriformi; non raro expellitur unum tantum modo coagulum quod formam ventriculi refert.

Quantitas sanguinis evacuati variat modo ad paucas uncias, modo ad libras plures adscendit; *Van-Swieten* refert vidisse quamplores aegrotantes, qui postquam vomitu reddidissent magnam sanguinis copiam deinceps convaluere, quamvis in extremis vitae versarentur; clarissimus *Albertus Haller* in suis physiologiae Elementis nobis tradidit hominem ejicisse centum quatuordecim sanguinis libras sub quinqua accessubus haematemesia ad breviora temporia intervalla redeuntibus.

Quando haemorrhagia etsi minor, tamen continuat, persentitur dolor in regione epigastrica, nausea et vomituritio accedunt, superveniunt quoque anxietas magna, inquietudo generalis, cordis palpitatio, color faciei fit pallidus, extremitates frigescunt, pulsus parvi evadunt, sensus obfuscantur, et aegri vertigine etiam corripiuntur, facile in deliquium incidunt, quaeque symptomata pro parte a terrore in pluribus casibus repeti debet. Haec phoenomena per unum alterumve horae momentum, vel etiam per quadrantem horae continuant, et dein cessant; sed quies non est perfecta, atque post quadrantem vel dimidiam horam symptomata denuo recurrunt, et hoc contingit ter quaterve in die, donec nausea et vomituritio omnino sileant.

Aliquando omnis sanguis per os non evacuatur, ast partim in ventriculo remanet, partim ad intestina transit, quo in casu diarrhoeae cruentae adinstar per anum emittitur, et tunc habetur vomitus cruentus una cum diarrhoea cruenta, qui morbus ab *Hippocrate* quoque cognitus erat, et vocatus *melaena*. Dari etiam potest quod haemorrhagia ventriculi ita tenuis sit, ut neque vomitum excitare valeat, sed sanguis intestina petit, atque per anum deinceps emittitur, uti sapientissime monet *Petrus Frank* = Sunt qui praegressis ad epigastricum, hypochondria, ventrem, lumbosque doloribus ac syncopis imminentis sensatione materias atras corruptas sanguinolentas per anum, vel priusquam similes per ventriculum expellant, vel adeo quin vomitus cruentus sequatur, sub cruentae magis diarrhoeae adspectu excernant; ac interdum hac sola jam nimis exhausti sub continuis lipothymiis, vel pulsu exilissimo ac frigore marmoreo, vel denique convulsi moriantur. = In maelena prodroma habentur quae perdurant per menses et annos; ita observatur color faciei flavescens, nigricans, anteralgiae et gastralgiae insurgunt, cibi adpetitus nunc adaugetur, nunc imminuitur, supervenit animi morositas, proclivitas in iram, melancholia, hypochondriasis; praegressis hisce

symptomatibus comparet vomitus une cum diarrhoea, et sanguis evacuatur niger, spissus, pici similis, qui ab auctoribus nonnullis atrabilis dicitur; nonnunquam partes corrodit, dentes stupescit, odorem ingratum foetidissimum spergit.

§. III.

Ex hisce ideo symptomatibus collectis et combinatis agnoscitur haematemesis et melaena; naturam vero individualem morbi definire nequimus, nisi causas quoque morbi perquirimus. Aliqui habent dispositionem peculiarem in hanc aegritudinem haereditate acquisitam, aut congenitam; frequentius in foeminis observatur, sed mares quoque immunes non evadunt; saepius occurrit intra trigesimum et quinquagesimum annum, et dantur casus rari, quod adparuit in puella viginti annorum, vel in sene nonaginta annorum.

Causa morbi residet interdum in statu morboso vasorum lente evoluto, in dilatatione varicosa eorum ventriculi, intestinorum, vasorumque brevium; raro in extensione aneurysmatica arteriae coeliacae, saepe vero nullum vitium organicum adest, et morbus pendet a vitalitate abnormi.

Ita haematemesis quoque excitetur a statu

morboso ventriculi qui inducitur a violentiis exteris, per contusiones, vulnera abdomini illata, quare ruptura vasorum jam dilatatorum producitur; ita quoque ossicula acuta, acus in casibus rarioribus, hirudo in ventriculo deceosa, quare haemorrhagia traumathica provocatur. Haematemesis etiam inducitur per venena acria, arsenicum, sublimatum corrosivum, chlororum antimonii, cortex Meserei, cantharides, etc. quia vasa corroduntur. Etiam per ichorem acrem si ulcera post inflammationem in ventriculo oriuntur, atque interdum carcinoma quoque locum habet. Nonnunquam vero haematemesis per solam secretionem fit, quae provocatur ab iogestis nimis calidis vel frigidis, ab emeticis, purgantibus acribus irritantibus interdum a saburra in ventriculo et intestinis ingenerata, a vermium praesentia; alias a motu sanguinis in toto corpore accelerato, vel per impeditam circulationem in aliquibus partibus.

Haematesis dein quoque inducitur a vita sedentaria, a diaeta nimis lauta ac stimulante, alcoholicorum abusu, et illis omnibus opificiis quorum in gratia corpus antrorsum flectitur. Praeterea fere omnes auctores in eo conveniunt quod praecipua haematemesis causa sistat in suppressione alius haemorrhagiae, et tanto

magis si haec habitualis erat; proinde in foeminis praesertim observatur quoties menstrua copia imminuuntur, vel omnino cessant, atque in nonnullis casibus etiam sub ipso gestationis tempore; in hominibus autem haud parum confert ad profluvium excitandum fluxus haemorrhoidalis suppressio.

Haematemesis pendere etiam potest ab infarctu hepatis vel lienis; propterea non raro haec haemorrhagia occurrit in illis qui vitam sedentariam ducunt, animi moerore adficiunt; nec non per febres intermittentes, atque sub ipso paroxysmo haemorrhagia observatur, uti casus habentur in febribus larvatis aut perniciosis haemorrhagicis. haud raro etiam haematemesis occurrit in febribus putridis, scorbuto, morbo maculoso haemorrhagico Werlhoffii.

§. IV.

Etiam character dynamicus morbi variat; interdum haemorrhagia activa est cum inflammatione topica conjuncta; juxta *Marcus* est symptoma splenitidis; ad mentem *Broussais* symptoma constituit gastro-enteritidis, ast hi morbi frequentes sunt, et haematemesis nonnisi raro occurrit in praxi. Nonnulli pathologiae institutores admiserunt quoad vires vitales

duos diversos imo oppositos status dari, unum hyperstheniae haemorrhagiarum activarum causa, alterum hypostheniae passivarum causa. Clarissimus vero Professor *Giacomini* nos admonet quod haemorrhagiae passivae a pathologis recentioribus minime accipiuntur; et re quidem vera illi qui temporibus elapsis admittebant hasce haemorrhagias utpote asthenicas quam innitebantur opinionem potissimum in eo quod videbant hasce supervenire sub decursu alicujus aegritudinis quam utpote indolis asthenicae habebant. Haemorrhagiae igitur passivae, saltem si existunt, nonnisi perraro in praxi occurrere debent; nam ad indolem activam plerumque haemorrhagiarum demonstrandam sufficiat perpendere causas, quae juxta investigationes nuperrime institutas a *Barth* inducere valent congestionem in partibus ubi contingunt; sufficiat commemorare quod causa praecipua haemorrhagiarum sistit in suppressione alicujus profluvii cruenti, quod omnes se praebent cum phaenomenis plethorae localis aut generalis, quod medendi methodus antiphlogistica requiritur. Attamen dantur casus rarissimi in quibus haematemesis occurrit sine vestigiis inflammationis, imo adest status asthenicus cum irritabilitate adaucta; interdum cum nimia sensibilitate; quandoque vero habetur status paraly-

ticus, torpidus; et semper haematemesis diu decurrens vel si provocatur per febrim typhosam, vel per morbum *Werthoffii* assumit hunc characterem asthenicum.

§. V.

Diagnosi probabili instituta, etiam prognosim probabilem pronunciare debemus. Nonnuoquam morbus brevis, acutus est, tunc characterem hypersthenicum habet, atque non raro salutaris, criticus est, uti quando a suppresso fluxu catameniali, aut haemorroidali provenit, et in hoc casu non raro adparet tempore aequinoctii vernalis, vel autumnalis: interdum valetudinem minime perturbat, sed diu durans, debilitatem, habitum cachecticum, et tandem mortem causat.

In casibus rarioribus aeger subito extinguitur, dum quantitas sanguinis magna per oesophagum et nares emittitur, atque sanguis coagulatur in pharynge, claudit glotidem, et suffocationem inducit, nisi coagulum removeatur; sensus obfuscantur, sudor frigidus erumpit, extremitates frigescunt, animi deliquium adparet, et inde mors supervenit. Interdum etiam mors pendet a nimia quantitate sanguinis in ventriculo collecta, qui in uno casu inven-

tus fuit a raptura aneurysmae arteriae coeliacae pendere.

§. VI.

Nisi vitia organica adsint, morbus curari et sanari potest, in casibus individualibus aeger quietem summam servare debet, vestimenta arctiora solvenda sunt, temperatura externa moderate frigida esse debet, motus omnes intermittendi sunt, aeque ad urinas et faeces evacuandas conatus fieri debent, nec a lectulo descendere, nam sub motu corporis aeger in animi deliquium incidit, et extinguitur, quare oportet prohibere hominum concursum, sermocinationem, et omnia illa quae incitationem inducere possunt.

Ex relatione aegri, et symptomatibus praesentibus, eruere debemus causas excitantes morbi, et statim eas removere conamur, vel saltem actionem earum imminuere. Si haematemesis inducitur per corpora acuta mecanica agentia, vel per substantias chaemice agentes quae removeri non possunt, actio eorum imminuitur per potus copiosi, oleosi, mucilaginosi; si ab hirudine pendet, tunc sal communis in aqua solutus juvat; si ab aliis profluviis suppressis, illa revocanda sunt; si hae-

matemesia periodica habetur, aliquando constituit symptoma febris perniciosae haemorrhagicae, tunc cortici peruviano cedit.

Interdum causis remotis morbus persistit, atque tunc in auxilium vocari debent remedia, quae utilia evadunt in aliis haemorrhagiis, uti potus aquosi, antiphlogistici, decocta emollientia ex hordeo, althaea cum oxymelle simplici aut syrupo, emulsiones amygdalarum dulcium. Si alvus obstipata est tunc juvant purgantia eccoproctica, quae tamen magna cum circumspectione adhibenda sunt propter irritationem quam in ventriculo inducunt, et haemorrhagia augetur vel renovatur.

Saepe nulla indicatio habetur pro sanguinis evacuatione, aut illa jam peracta fuit sine ulla utilitate, quia haemorrhagia per irritationem exaltatim arteriarum sustinetur, et tunc remedia illam irritationem imminuere valentia indicata sunt. *Burserius* fere contra omnes haemorrhagias valde commendat aquam frigidam; omni quadrante horae juxta ejus sententiam poculum dimidium sumitur, atque aeger ab omni cibo et potu abstineri debet; si aqua frigida interna sumpta non sufficit, tum fomenta aquae frigidae vel ipsa glacies regioni epigastricae admoventur; et re quidem vera post sanguinis evacuationes pharmacon quod

caeteris praestat, frigus est. = Il freddo, ait clarissimus *Giacomini*, in qualunque forma e in qualunque grado sia applicato, col sottrarre che fa il natural calorico, tende sempre ad abbattere e ad estinguere l' energia vitale, agisce alla guisa del salasso, cioè come sottostimolo, o come indiretto ipostenizzante. I suoi effetti sono di lunga mano più pronti di quelli dei rimedj ipostenizzanti diretti, perciocchè non è bisogno dell' intermedio dell' assimilazione affinchè nascono. Sono più pronti anche di quelli della sottrazione del sangue, perciò che un tempo più o men lungo anche per essa si richiedea a sentirli, intanto che un certo equilibrio idraulico nella restante massa sanguigna si compia. L' azione del freddo invece è subita perchè immediata ne è la sottrazione del calorico. Essa è locale, perchè si fa per comunicazione tra corpo e corpo, tra molecola e molecola, e non per intervento di vasi. =

Interdum ab haematemesi morbi accidentales provocantur, quia sanguis coagulatus in ventriculo et intestinis accumulatur, et nonnulla symptomata gastrica excitantur; uti dolores, meteorismus, alvus irregulariter mota, tunc ad diluentia, decocta emollientia, clysmata pariter emollientia, blanda purgantia

confugimus, drasticis sedulo abstinendum est quia nimis ventriculum irritant, et haemorrhagiam iterum suscitant.

Haematemesis suapte natura facile ad recidivam tendit, quare devicta haemorrhagia, inquirere debemus causas quae recidivam provocare valent, et eas sedulo amovere.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

1. Omnis morbus ab initio localis.

2. Non morbus utpote talis, sed relate etiam ad individuum curandus.

3. Primus cachexiarum fons a gymnasticae artis privatione repetendus.

4. In Obstetricia secale cornutum sicut artis auxilium considerandum.

5. Cancri ablatio pro cura radicali instituenda.

6. Chinae chinae virtus potiusquam febrifuga antitypica habenda.

7. Non semper linguae sordes purgantium usum deposcunt.